

P V I S



1 6 0 5

LXXVII.

EPI THALAMIA
Scripta ab amicis

76.

IN HONOREM
CONIVGII ORNATIS-

SIMIVIRI, VIRTUTE, DOCTRINA, ET
RERVM EXPERIENTIA PRAESTANTIS, Dn-

Abrahami Ratzij I. V. Candidati, & apud
Naumburgenles Aduocati celebris,
Secundum Sponsi:

E T

LECTISS. ET PUDICISS.

virginis Phronicae, honestiss. & integerr. vi-
ri Ieremiae Schuveicceri, civis & mercatoris

Lipsiensis F. Sponsa, Quod solenniter

Neopyrgi celebratum est 2. 7br.

db.

Anno Christi 1596.



SERVESTAE

Excudebat Iohannes Schleer, Anno ut supra.

90





Epithalamion.

 **V**alis Abras doluit defuncta lumine Sara,
Dum pars avelli corpore visa suo est:
Talis Abras imbr iugat ora in funere Martha.
Cordis ubi partem perdere visus erat.
Sed ceu Thariadæ pertentant gaudia pectus,
Fœdere dum socio juncta Cetura venit:
Sic quoq; Ratziadæ perfundunt gaudia mentem,
Dum Schyveicceræ tori vincula casta subit.
Nil homini stabile est, omniq; ex parte beatum:
Sunt mala mixta bonis, & bona mixta malis.
Omnia Sors hominum versat, Morsq; horrida tui bat:
Heu quantum Sors & Mors fera juris habent!
Sors hominum incerta est : Morsq; omnibus ingruit ho-
Sors tibi grata rapit : Mors tibi cara necat. (riso)
Sed DEus haud omnes irarum effundit habenas:
Nam DEus est mitis, non homo bile furens.
Dia regit Sortis Mortisq; potentia vires,
Inq; bonum sanctis cedere cuncta jubet.
Bis duodena regens annum Sol transiit astra,
Dum numero Pestis corpora plura necat:
Et tibi, Musarum R A T Z I Themidosq; sacerdos,
Auxilium vitæ deliciumq; rapit.
Iamq; tibi reddit thalami servator & auctor
Subsidium vitæ, deliciumq; tori.
Nam DEus, haud Cecrops, quem Græcia docta bifor-
Prodidit, hoc vitæ sancijt auctor opus. (mem)
Vt castam numeros mentem puramq; per omnes
Ere DEVM, casto pectore discat homo.

A 3

Vtq;

Vtq; sacro dulcis sociati foedere lecti
Ritè colant castum femina masq; D E V M.
Et genus è costis hominum procrescat. & inde
C H R I S T V S Christicolum cogat in orbe gregem.
Non satis hic dignè fruitur vitalibus auris,
Quo satis haud cultor Numinis extat humo.
Vtq; Cupidineas possit vitare sagittas,
Nam nimiùm cunctis molle cor esse liquet.
Vita Cupidineis semper patet innuba telis :
Sæpè scelus vita cælibe patrat homo.
Sed præstat socium cum virgine foedus inire,
Quàm levis exuri pectus amore viri.
Grandeq; præsidium est, seseq; viro applicat uxor,
Et recreat sensus, cordaq; moesta levat.
Plena malis tellus, plenum mare, plenus & aer;
Quicquid in hoc ævi degitur Orbe, malum est.
Tot tantisq; malis Orbis medicina quiesq;
Nulla nisi à Verbo, conjugioq; venit.
Discit homo in thalamo, quæ codex non docet ullus :
Tam torus est lucis fida crucisq; schola.
Cura precum, pietas, tolerantia, candor, amorq;
Non viget, in casti n̄ viget æde tori.
Conditor in mentes virtutum semina sparsit,
Et casti volucres instar amoris habent.
Exemplo Halcyones, turtur, Iovis armiger, ales
Chaonis, & storges voce celebris, erunt.
Nil punit justi gravius gravis ira I E H O V Æ,
Quàm Veneris pecudum more vagantis opus.
Omne oculis animoq; vigil latus excute mundi,
Tristibus exemplis non domus ulla caret.
Non majore bonus quenquam DEVS ornat honore,
Quàm cuius pictas & pudor acta regunt.

Cerne



Cerne pudicitiae Iosephum nobilis instar:
Regnat humo Pharia, qui modò vincitus erat.
Et flammæ typus est & imago flamma jugalis,
Qua Christus massam diligit ipse suam:
Nosq; suæ carnis massæ sovet insita membra,
Ceu sponsus sponsam curat amatq; suam.
Quis dirum ergo Papam, quis tam ferus abstulit error,
Qui sacros homines arcet ab æde tori?
Esse bonam Dominus negat hanc sine compare vitam:
Absq; toro vitam Papa ait esse bonam.
Quis furor est D O M I N O dicenti opponere legem,
Quam Latia sancit Fur, Latro, Mœchus humo?
Sunt duo fulcra Papæ, grave jus de cœlibe vita,
Et claudi vesco creditus orbe DEVS:
Et gaudent homines Latias defendere nugas,
Dum gladio miscent prælia, dumq; stylo!
Sed tua, mi R A T Z I, pietas est grata I E H O V Æ,
Quod juris cultor vincula juris amas.
Nam puerum viridi Phœbus dilexit ab ævo,
Iusq; verenda suum tradidit omne Themis.
Ergo verba tibi meritò gratantia mitto,
Quod thalamos intrat virgo pudica tuos.
Cui sine sorde genus, sine labe est fama pudorq;
Virginis est ingens fama pudorq; decus.
Suscepit æqua patrem mutantem Lipsia merces:
Suspicit & matris Norica terra genus.
Donat opes Iuno, formam Venus aurea, Pallas
Ingenium, linguæ suada Charisq; decus.
Sed Pietas animi dotes & corporis ornat:
Est Pietas vitæ regula, causa D E V S.
Omina nominibus non rara subesse videmus,
Et Pheronica sui nominis omen habet.

A 3

Nam



Namq; ferenda ferens vincit, vincetq; per xvum,
Si qua pijs etiam fata ferenda dabunt.
Cui pia cælestis datur uxor munere Regis,
Felix is dici cur mereatur , habet.
Ergo tua R A T Z I nunc gaudia percipe sponsa,
Sponsaq; de sposo gaudia sume tuo.
Hinnulus ut capream non fictis gestibus ardet:
Pectora sic ambo mutuus urat amor.
Ut placidus placido lætatur turtur
Gaudia sic concors pax regat atq; fides.
Tot bona suppeditet felici Copia cornu,
Quod fundo pisces Sala vel Albis alit.
Firmaq; lanificæ deducant stamina Parcæ,
Dum Pylios superent utraq; fata dies.
Plura rogaturo pietas sic vellicat aurem:
Iustorum soboli fata Deusq; favent.

M. Ioan. Fertzschius Ludi literarij apud Bernburgenses Reclor.

Prouerb. 5. Cap.

Sit vena tua benedicta , & gaudium habeto
cum uxore adolescentia tua. Sit veluti cer-
ua amabilis , & hinnulus gratissima , bu-
beracius inebrient te omni tempore,in amo-
re eius delecteris jugiter , &c.

N V P T I I S

NVPTIIS SECUNDIS,
VIRI ORNATISS. ET DOCTISS.
Abrahami Ratzij Numburgensis, & honestissi-
mæ Virginis Veronicæ Schvveikerin Lipsensis:
Quæ incident in ipsum diem Ægidij, circa quod
tempus Cerui, post Arcturi sydus, naturæ
instinctu exardescunt, dum Veneris
igne inflammantur.

Bseruare decet cautum, duo tempora,
Sponsum: (lern:

Aetatisq; dies apta, Mensemq; juga-
Nolo sit imberbis, prorsus tremulusue
senecta,

Nec puer ante diem Veneris sectetur amores,
Nec post amissas vires ea gaudia querat.

In Sponso Ascrans vates sex lustra requirit,

Addo duo fient sic octo (Ignoscite amici

Aut potius veniam faciles date quoq; puellæ,

Corrigo dum sponsi pellectus amore, Poetam

Grajum: aut liberius sic antem more Poeta)

Non solum vates certissima lustra requirit,

Sed prohibet Venerem nuptis dum Sirius ardet,

Mense malum Majo quoq; nubere Naso putar-
uit.

Apti.



Aptius est nullum nubendi tempus in anno,
Quām quod anhelantes cervos inflammat &
vrit,

Pruritumq; ciet simulatq; libidinis ignes,
Vt docuit Natura potens animalia bruta.
Cumq; micat radijs Arcturus stellacoruscis
Tempus idem Sporsus mensemq; hunc RA-
TZIVS aptum

Conjugio observat, replevit ubi horrea messis,
Diues ubi autumnus collectis frugibus agri,
Regnat divitijs auctis opibusq; triumphans.
Nunc cerui pingues, robusto corpore messem
Depasti, Venerem quarunt ceruasq; fatigant,
Illud idem obseruat cervorum tempus Abramus,
Et vocat hoc Veneris festum Mensemq; jugale,
Blanda Venus nulli pœna est obnoxia, si sit
Legitima atq; modum servet, si debita fiat.
Spurca Venus contra multis obnoxia curis
Est homini est invisa DEO pœnasq; meretur.
Sed qua causa feris, nunc sit nec tempore veris
Ardoris, studio venantium agitanda relinqui.
Nos hilares fruimur convivæ fructibus annis
Optamusq; novis felicia tempora sponsis,
Longior ut cervis duret vivacibus astas

Turtur

Turturibusq; dedit, qualem concordia pacem.
Vnanimis votis & puro corde precamur.

Paulus Bergmanus,

Aliud.

Non terris quoscunq; Deus conjungit amantes,
O dilecte viris, Sponse, mihiq;, bonis,
Vna sit illorum mens & conjuncta voluntas,
Efficit omnipotens, qui benè cuncta facit.
Nec genus hoc hominum poterit mundiq; triforis
Sint nisi amicitia, machina st̄ re diu.
Nec coetus fuerit Christumq; Deumq; professus,
Hic vbi de sierit mutuus esse calor.
Scilicet ista nota est, signumq; Ecclesia Christi
Quod gerit ut vero simus amore pares,
Sic mortalis homo est homini Deus, omnia namq;
Pleraq; vel saltem, quæ Deus ipse solet,
Illa cupit præstare fidelis amicus amico,
Et pars fortunæ si queat, esse studet.
Cor hominis sincerus homo est, quia vulnera cordis
Sincerus sermo sanit, acerba licet.
Sed cum præteritis si ritè expendo futura,
(Sponse tua & sponsæ hæc dixero pace tue)
Summus amicitia gradus est, summumq; favoris
Indicium, casti sedus inire tori.
Arctius hoc etenim quò nos natura ligavit,
Hoc magis ingenuo crescit amore favor.
Fervet amor, sincerus amor, dum vescimur aura,
Atq; domum proles, Numine dante, beat.
Hunc nequit affectum vis invida tollere mortis,
Sunt sua defunctis jura manentq; pijs.
O quoties alto suspirans corde maritam
(Sit licet in vanum) vir vocat ore suam.

B

O quo-

● quoties ima ducens suspiria mente
Defunctum conjunx optat habere virum.
Expertus loquor hoc, plures, haud dispere sorte,
Quod sunt experti, aut experientur idem.
Tu quoq; (sed nolo veterem renovare dolorem)
Non minus exemplo sponse probare potes.
Bis duodena etenim lustrans Sol astra, cubile
Invenit vacuum comparis esse tuum,
Cuius in amplexus, & brachia mollia fusus
Vbertim posses oscula ferre, dare.
Hinc quantis desideriis impletus es ? ipsum
Confecit mæror te gravis, atq; dolor.
Ah quoties dixti linguaq; & pectore, Martha,
(Sed tua quæ diuūm munere Martha fuit.)
Tu regina domus, tu cor & nostra voluptas,
Tu decus, & si quid gratius esset eras.
Te nunc extincta regni jacet inclita consors,
Et pars fortunæ, Martha, volente Deo.
Ah quoties etiam linguaq; & pectore Ratzi
Sic dixti, ast inter singula verba gemens,
Tristia quæ nobis anno evenere priori,
Mitiget ista Dei cura paterna novo.
Sæpius hæc iterans cum multis vota querelis
Sensisti tandem Numen adesse tibi,
Irrita quod nunquam patitur vota esse piorum,
Sint effusa modò non dubitante fide.
Namq; quod immissam cladem prece vincis, & urges
Quæ sunt officij, spe meliore, tui:
Ecce tuos subiere joci risusq; penates
Lætitiae comites, quæ tibi parta, novæ.
Iungitur ecce tuo lateri Pheronica, pudore
Quæ nitet, & castum in corpore pectus habet.
Hæc quanta cum dote venit, dos maxima Ratzi est.
(Sed tantum in paucis quam reperire licet)
Stirpis honos patriæq; simul, pietatis amore
Qui mens, quod rarum est, nescia labis inest.

Candida

Candida simplicitas, turpi sine crimine mores,
Et justi & recti non simulatus amor.
Si formam spectes, quovis ea judice pulera est,
O certè Veneris nata, vel ipsa Venus.
Si spectes operas, studiosè intenta labori
Arte viri poterit rem regere atq; domum.
Talibus aucta bonis soli tibi contigit uxori
Abrame, à multis antè petita procis,
Sic adeò verum est, sapiens quod tradidit olim,
Cum paribus jungi quàm benè posse pares.
Hoc tua dictarunt nobis quoq; vota priora,
Quod præsens thalamus tædaq; sponse docet.
Namq; quòd hausisti patriaq; & patre celebri
Hanc lucem, duplex gloria parta tibi est.
Et quòd prima tibi, mentem ut multiplice rerum
Notitia imbueres, cura laborq; fuit,
Te sibi blanda Themis tenero sacravit ab ævo,
Atq; meus, virgo dixit, alumnus eris.
Scilicet in te habitant jurisq; scientia, & usus,
Quæ simul in paucis tantum habitare solent.
In te habitat fandi vis mellea, quando requirit,
Rebus in afflictis, verba diserta reus.
Hinc ita quàm laudum est accessio facta tuarum.
Inq; dies claro nomine crevit honos.
Sic decus ipse tuæ patriæ es, cuij patria famam,
Et decus æternum conciliare potest.
Singula non refero, quæ sunt, ut laudibus æquè
In servire tuis ô Abraham ecce quanta:
Ingenium solers, candor, prudentia, honestas,
Et studijs Ratzi consona vita tuis.
Talibus ornatus Divino munere donis
Cum sis, ô Themidis præco, vel ipse, Themis.
Est studijs Pheronica tuis & moribus apta,
Multaq; sunt uno sic bona juncta toro.
Par id amicorum est quàm nobile, passibus æquis
Quod sua nobilitat gloria, fama, decus.

B 2

Nobile



Nobile Conjugium est, selle omni posse catere,
Incidat aut si quod, posse sugare prece.
Macte animo, & virute nova sponsi inclite motus
Concipe lætitiae, & tu Pheronica, novos.
Tu sociam reverenter habe, cui solus adhære.
Consortem thalami nam facit ipse Deus,
Tu socium reverenter habe leclissima Nympha,
Cui soli ex animo sola placere velis.
Sic bona distribuet multa, & felicia virtus
Tempora, vos vobis, qui dedit, ille dabit.

Georgius Bobbius Pastor
Pythius in Edderitz.



7f 4600

ULB Halle
003 299 04X

3



8b.

107



Farbkarte #13

B.I.G.



LXXVII.

THALAMIA *Scripta ab amicis*

#6.

ONOREM
GII ORNATIS-
IRTVTE, DOCTRINA, ET
RIENTIA PRAESTANTIS, Da.
uzij I. V. Candidati, & apud
rgenses Aduocati celebris,
ccundum Sponsi:

E T

S. E T P V D I C I S S.
zica, honestiss. & integerr. vi-
veicceri, civis & mercatoris
Sponsa, Quod solenniter
i celebratum est 2. 7br.
anno Christi cccc xci.

elb.



SERVESTAE
Johannes Schleer, Anno ut supra.

90